

Q.K.352,2.

X 23A 645A

Q. D. B. V.

AD

ORATIONES

QVORVM DAM SCHOLAE NOSTRAE
CATHEDRALIS ALVMNORVM

IN ACADEMIAS PROPE DIEM

ABITVRORVM

BENEVOLE AVDIENDAS

AVDITORES

PRO SVO QVEMQVE LOCO AC ORDINE
OBSERVANTISSIME HUMANISSIME QVE

INVITAT

SIMVLQVE INQVIRIT IN CAVSSAM

QVAMOBREM FACTVM SIT

VT STOICAE SECTAE PHILOSOPHI DOCVERINT

OMNES OMNINO HOMINES

NE INIMICIS QVIDEM MALISQUE

EXCEPTIS

AMANDOS BENEFICIISQUE ADIFIENDOS

ESSE

M. IO. GEORG. Schulze,

EIVSDEM SCHOLAE RECTOR.

NVMBVRGI
LITTERIS BOSSOEGELIANIS

BIBLIOTHECA
MONICKAVIANA



Non ita pridem accidit, vt, in enucleanda oratione Isocratis ad Demonicum, incideremus in praceptorum illud, quo huic ille auctor est sua-
forque, vt bonis quidem, non vero malis, ho-
minibus beneficia collocet. De his enim si
bene mereatur, futurum, vt idem illi vsu veniat, quod iis, qui
alienos canes pascant: nam et hos aequa allatrat eos, qui dent,
quam quoslibet; et illos non minus eos, qui bene de ipsis me-
reantur, quam illos, qui eis noceant, laedere. Qua occasione
non potui non discipulis ostendere discrimen, quod intercedit
inter morum doctrinam, quam gentes tradunt, et inter illam,
quae ex ore seruatoris optimi promanauit. Christus enim
hortatur omnes, disciplinam suam profitentes, vt non probos
solum homines ament sibi amicos, et illis bene studeant
facere, a quibus vicem sibi redditum iri, sperare possunt; sed
et illis, * a quibus omni iniuriarum genere adficiuntur. Quod
si faciant, futurum, vt liquido appareat, ipsos esse filios pa-
tris caelestis, qui solem suum oriri faciat in malos iuxta ac bo-
nos, et iustos iniustosque compluat. Neque tamen hoc ser-
uatoris praceptorum accipiendum est, vt nouum et antea in-
auditum: quippe quum in diuina lege iam contineatur,
quae iubet, inimicis etiam ** officia praestari. Sed mali
interpretes sensum illius ita peruerterant, vt docerent, ini-
micis, et quidem alienis a Iudeorum sacris, nulla tribuenda
esse beneficia, sed eos potius odio quodam nouercali, ad in-
teritum usque, persequendos. In quo consentientes sibi
habuerunt homines, profanae superstitioni addictos, qui uno
ore atque consensu adfirmarunt, inimicos et improbos homi-
nes esse indignos, in quos beneficia conferantur. Hesiodus
certe, cuius versus pro oraculis olim fuere habiti, popula-
res suos docuit, *** amorem et beneficentiam in eos esse ex-
er-

ercendam, a quibus se amatum iri et beneficia accepturos esse, sperare possent. Ex eodem fonte promanauit illud praeceptum, quo suis mandat, ut amicos tantum in conuiuium adhibeant; inimicos vero hoc beneficio indignos aestiment. In cuius sententiam facile discesserunt Phocylides **** et Theognis, ***** quorum ille adfirmat, bene qui malo homini faciat, eum tam esse in vitio, quam si semen in mare spargat; hic vero eamdem sententiam pluribus verbis exponens, a bene improbis faciendo lectores deterret.

* Matth. V. 45. 46. ** Exod. XXIII, 4. 5. Deut. XXII, 1. Prouerb. XXIII, 17.
XXV, 21. 22. *** Op. et dies v. 340. 350. seq. **** v. 142. ***** v. 105. seq.

Mirum itaque alicui videri poterat, quid tandem sit, quod, quum omnes, diuinae veritatis lumine non collustrati, homines contendenter, malos et inimicos esse indignos, qui amen-
tur, beneficiisque adficiantur, soli Stoici fuerint inuenti, qui
docerent, omnes omnino homines, ne inimicis quidem conse-
leratisque exceptis, amandos esse, auxilioque iuuandos. Id
quod facile effatis Senecae, Epicteti et M. Aurelii Antonini
demonstrari potest, qui Stoicorum familiae addicti fuerunt,
et quorum integra ad nos peruererunt monimenta. Inimi-
cos enim, et eos, qui nobis iniurias intulerunt, amandos esse
ita, vt iisdem opem feramus, Antoninus passim docet in
libro, quem *de se ipso ad se ipsum* scripsit. Nos in uno eius alte-
roque testimonio acquieturi, in medium adferendum in pri-
mis putamus illud, quod extat lib. VIII §. XXVII. *Quum te a-*
lius, inquit, reprobendit aut odit, his aut aliis contra te verbis exclamat:
adspice eosam animulas: intra et vide, quales sunt, cernes, nihil esse, cur
labores, hoc vel illud de te tales iudicent. Bene quidem iis velle debes; na-
rura enim amici sunt, eosque dii omni ratione per insomnia, vaticinia, iis
in rebus adiuuant, quas ipsi pro magnis habent. In quibus verbis fa-
pientissimus imperator duas allegat causas, quibus nobis
persuadere vult, ut credamus, inimicos etiam esse amandos;

quarum altera posita est in cognatione illa naturali , qua
omnes omnino homines continentur ; altera in exemplo Dei,
qui illos suis beneficiis non indignos reputat. Hinc et lib. xi.
§. XIII. Contemnor, inquit , ab aliquo ? viderit : ego curabo, ne quid con-
temtu dignum agam aut loquar. Odit me aliquis ? viderit. Ego quidem
omnibus sum placidus et benevolus, et huic adeo ipsi, qui contemnit aut odit,
suum errorem paratus ostendere ; neque hoc exprobrandi caussa , aut ut pa-
rzentiam ostentem meam, sed ingenue et probe. Quae verba ita com-
parata sunt, ut , teste Buddeo, * plane ad diuinarum litterarum
sententiam accedere videantur. Lib. vii. vero §. xxvii. quales
nos erga illos, qui iniuriis nos lacesfuerunt, nos gerere de-
beamus, his verbis declarat : Si quis aliquid contra te deliquerit, statim
cogita, quanam boni vel mali opinione peccauerit : id enim si cernas , miserebe-
ris eius, ac neque miraberis, neque irasceris. Nam aut ipse tu in eadem adhuc
errore versaris, vt idem plane, quod is , aliudque quiddam eiusdem generis bo-
num putes ; ergo et illi condonandus error, si et tibi : aut tu melius de bonis et
malis iudicas, et eo placabilior esse debere ei , qui falsus est. Denique vt
eos , qui in nos iniurii fuerunt, summa mansuetudine in tra-
mitem virtutis reducamus, Antoninus hortatur, quum lib. xi.
§. XVIII. Mansuetudo , inquit , si genuina sit, non contumeliosa aut fucha-
ta , inuicta est. Quid vero vel procacissimus homo tibi faciet, si constan-
ter mansuetudinem serues, ac si res ita ferat , placide eum borteris ac doceas,
eo ipso tempore vacans huic rei , quoniam te laedere nittitur ? Si dicas , noli ,
fili , ad alias res nati sumus; ego quidem non laedor , sed tu , fili : idque ei a-
perte et generatim ostendas, neque apes, neque ullum aliud eorum, quae ad
coetum apta sunt natura , animalium ita agere. Oportet autem neque irriden-
di, neque conuiciandi caussa hoc facere, sed amanter atque ita , vt cum solo
loquaris , etiam si alii adsint. Quid? ne improbitatem qui-
dem hominum efficere debere, vt illos odio prosequamur ;
quin potius illos aequo ferre animo nos oportere, et quidem
numinis exemplo inductos , et nostra imbecillitatis consciros,

CON-



condocet Antoninus lib. VII. §. LXXX. *Dii sunt immortales, inquit, tamen non indigne ferunt, quod in tam diuturno aeuo semper omnino tot improbos homines perferre debeant: quin immo illorum curam summam gerunt. Tu autem, qui iamiam cessabis viuere, desperas, idque unus e numero malorum. Ridiculum est, te non fugere tuam ipsius malitiam, id quod potes; aliorum velle fugere, quod non potes.* Nostrum autem esse, homines delinquentes erroris admissi admonere, et grauioribus peccatis se obstringentes ad bonam frugem reuocare, hoc est, quod sapientissimus imperator exponit lib. x. §. IIII. quum, *Si quis errat, inquit, docere eum debes benigne, et ostendere, quid non animaduerterit.* Optimum etiam remedium restinguendae irae, quae in animis nostris ex aliorum peccatis exardescit, propriae infirmitatis cogitationem commendat, quum eiusdem libri §. XXX. *Quum alicuius, inquit, offenderis peccato, statim ad te reuertere, et cogita, quia in re simili tu pecces, ut, quod argentum, voluptatem, gloriolam, et id genus alia, in bonis ducas. Id iram mox obliuione delebit.* Eorum tamen alios carpendi et perstringendi pruritum reiicit ac damnat, qui, quum ipsi vitiis sunt obruti, in alios tamen virgam stringere censoriam non revertur. Lib. enim XI. §. XXVIII. *Numquam, inquit, scribere et legere alios docebis, nisi ipse prius didiceris: id multo magis in vita verum est.* Nos etiam in eos, quibus non est religioni, atrocissimis se obligare flagitiis, mitiores aequioresque fore, si perpendamus, illos in eam male agendi consuetudinem adductos esse, ut alter agere vix posse videantur, apparet lib. XII. §. XVI. Neque indignis ingratisque neganda esse beneficia, neque illis succensendum, quod malam nobis, bene de ipsis meritis, referant gratiam, videamus lib. VIII. §. XLII. ubi imperator philosophus docet, nos contentos esse debere eo, quod nostro functi fuerimus officio, licet nullam, immo indignam, mercedem accipiamus.) 3 Haec

* In introd. ad. philosoph. Stoicam ex mente sententiaque M. Aurelii, Antonini imperatoris, praemissa eius libris Sect. VII. §. XIII. p. 120.

Haec profecto Antonini praecepta ita sunt comparata, ut refutent illos, qui existimant, in diuinioribus litteris ea christianis hominibus facienda iniungi, quae sanae rationi et diametro repugnant. Deinde hoc omnino pertinet ad confirmandam religionis nostrae veritatem,* quod ea morum praecepta in illa traduntur, quae homines etiam ab eadem alieni, vera esse, et humanae societati accommodata, cognoverunt.

* Grotius de Veritate religionis christiana. Lib. IIII. p. 216.

Illud tamen dolendum summopere est, quod tam salutares riuiuli ex fonte impuro promanarunt. Quod si enim quaerimus, cur Stoici statuant, amandos esse et beneficiis demerendos inimicos nostros et inprobos homines? respondent: *Quoniam omnes omnino homines unius animae, essentiae scilicet diuinae, per uniuersum orbem diffusae, facti sunt participes.* Nimirum credunt, animas nostras, ex ipsa numinis substantia ortas, progenitasque, particulas esse diuinae essentiae, et post mortem denuo conuerti in eam et commutari. Epicurus* enim easdem μόρια καὶ πεποντά συμβάλλει particulas et decerpit Dei vocat, et Cicerro,** ex Stoicorum mente sententiam ferens, *a natura deorum haustris animos et delibatos habere nos*, adfirmat. Idem Tullius, *** *humanum animum decerpit ex mente diuina*, dicit. Quid Seneca? * Ille vero diserte asserit, animum post mortem *in originem suam redire*, additque; et hoc habet argumentum diuinitatis suae, *quod illum diuina delectant*. Cui et M. Aurelius Antoninus ** suffragatus, *Oblitus es, inquit, ὅτι ὁ ἐνάγεις νέστος θεος, καὶ ἐκεῖθεν ἐγένετο, mentem uniuscuiusque esse Deum, et inde fluxisse.* Et suam sententiam clarius explicans, *** *Vna, inquit, anima, brutis animalibus est distributa, εἰς δὲ τὰ λογικὰ μίαν νοερὰ ψυχὴν μεμέρισαι, una mens rationem adoptis, quemadmodum una est terrenorum terra.* Nimirum diffusam esse per omnia corpora essentiam diuinam, et in iis animae mentisque, diuersemode tamen, et aliter in brutis, alter in homibus, se exserendo, munere fungi, Stoici putarunt.

Vn-



Vnde factum fuit, ut animū Deī nominie titulōū insignirent. Sed hoc Stoicorum scitum, animas particulas esse diuinæ aureæ, statuentium, facile erroris conuinci posse, nemo temere erit, qui inficietur. Vel enim anima hominis ita est pars essentiae diuinæ, ut cum toto, ipso scilicet Deo, adhuc coniuncta sit; vel ut ab eo seiuēta sit et separata. Prius si afferas, ipsum Deum peccare, et multis magnisque vexari miseriis et calamitatibus, concedas, necesse est. Id quod tamen dici non potest ab eo, qui intelligit, Deum necessario debere esse sanctum et ita beatum, ut in illum nullus dolor et aegritudo cadat. Posterius si statuas; id consequitur, ut largiaris, Deum in particulas discripi quasi et dilacerari. Quod nemo adfirmare potest, qui scit, Deum esse spiritum, ut omnis materiae concretionis, ita et diuisionis, expertem.

* I. Dissert. cap. XIV. ** lib. I. de diuinat. *** lib. V. Tusculan.


** p̄aef. quaef. natural. ** lib. XII, §. XXI. *** lib. VIII, §. VI.


* SENECA ep. XXXI. ANTON. lib. III. s. v.

Quae ideo edisserui, ut intelligatur, alio fundamento nisi Stoicos, adfirmantes, homines, nos infestantes, et peccatis se obstringentes, amandos, beneficiisque adficiendos esse, alio vero Christi cultores, eamdem sententiam pronunciantes. Et caussas quidem illas, quae ex christiana morum doctrina nos excitare debent, ut inimicos nostros, malosque homines, certo tamen modo, diligamus, exponere iussus est CAROLVS FRIDERICVS MEBESIVS, Burgscheidengensis Thuringius, iuuenis bene moratus et industrius, qui eo ipso, se tempus illud, quod per quatuor et amplius annos in conuictu meo ac contubernio transegit, non male collocasse, demonstrabit. Qui vero, se inuenisse, putant, quod obiiciant huic seruatoris optimi sententiae, hominibus nobis infestis et improbis certa tribuenda esse officia, illos refutabit Io. HENRICVS Richter, Coswiga Anhaltinus, qui ita partes suas achuc expleuit, ut non possim non fausta

AK II 4 1297

fauita quaevis ac felicia illi apprecari. Utriusque vero et suo nomine gratias aget, quam poterit, maximas Gottlieb SAMUEL Stecher, Wieha Thuringus, illis omnibus, quos in se et hos commilitones suos expertus est beneficos, dignus propterea, qui, ut gratus et beneficiorum acceptorum memor, in academia inueniat quam plurimos dignitatis suae fautores. Quod ut illi eueniat, atque ut his tribus academiae candidatis omnia, quae in posterum suscipient, ex sententia succedant, piis votis precibusque a Deo impetrare, pro eo ac a condiscipulis suis rogatus est, studebit Io. ANDREAS Kolbe, Numburg. qui adhuc partes alumni scholae nostrae probi et diligentis ex sententia impleuit; quem prius exposuerit, studiorum similitudinem optimum esse, ad hominum animos conglutinandos, remedium. Etsi vero horum declamatorum dicendi materia magnam auditorum frequentiam illis conciliatura esse videatur; mearum tamen partium esse putaui SYMME REVERENDOS scholae nostrae STATORES, ORATORES SACROS, et eos omnes, qui litterarum alumnis bene cuperint, quibus possim, rogare precibus, ut cras, peractis ante meridiem facris, hora VIII. In aede scholae nostrae cathedralis frequentes conuenire, et his declamatoribus exigiui temporis attentionem praebere, dignentur. Id quod illi non in praesenti solum summi beneficii loco habebunt, sed in posterum etiam cauebunt, ne ex animis suis eius memoriā vlla vimquam deleat obliuio. P. P. Numburgi VIII. Id. April. A. O. R. CIC 10 CCXXXVIII.





A.K. 352, 2.

X 231 6451

O. D. B. V.

AD

ORATIONES

QVORVM DAM SCHOLAE NOSTRAE
CATHEDRALIS ALVMNORVM
IN ACADEMIAS PROPE DIEM

ABITVRORVM

BENEVOLE AVDIENDAS
AVDITORES

PRO SVO QVEMQVE LOCO AC ORDINE
OBSERVANTISSIME HUMANISSIME QVE
INVITAT

SIMVLQVE INQVIRIT IN CAVSSAM
QVAMOBREM FACTVM SIT

VT STOICAE SECTAE PHILOSOPHI DOCVERINT
OMNES OMNINO HOMINES
NE INIMICIS QVIDE M MALISQVE
EXCEPTIS
AMANDOS BENEFICIISQVE ADFICIENDOS
ESSE

M. IO. GEORG. Schulze,
EIVSDEM SCHOLAE RECTOR.

NVMBVRGI
LITTERIS BOSSOEGELIANIS

